



CONCIO DOCTORIS PETRI FONTIDONII HISPANI

SEGOBIEN. THEOLOGI

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

D. Petri Goncalez de Mendoca

Episcopi Salmantini.

HABITA AD SACROSANCTAM

SYNODVM TRIDEN. DIE BEATI

Hieronymi xxx. Mensis Septembris,

M. D. LXII.



Brixia Apud Damianum Turlinum, M. D. LXII.



CONCIO DOCTORIS PETRI
FONTIDONII HISPANI, SEGOBIEN.

THEOLOGI ILLVSTRIS. AC REVERENDISS.

D. Petri Gonzalez de Mendoza
Episcopi Salmantini.

HABITA AD SACROSANCTAM

Synodum Triden. die Beati Hieronymi. xxx Mensis
Septembris M. D. LXII.


Vos estis lux mundi.

Matth. Cap. 5.



VENEADMODVM cælum hoc splendidissimum, mul-
tis syderibus tanquam luminibus quibusdam, & ad
vtilitatem, salutemq; rerum necessarijs, & ad speciem,
aspectumq; pulcherrimis diuina sapientia, & bonitas
exornauit: neq; omnia vim eandem virtutemq; sortiun-
tur, neque semper omnia nostris oculis patent, sed alijs
exorientibus alia occidunt, & occumbunt, vt cursu, splendore, atq; vir-
tute veluti iucunda quadam ac necessaria vicissitudine voluerentur: Sic
Christus opt. Max. Ecclesiam Christianam, quæ regnum cælorum appel-
latur, in qua teste Propheta fulgent iusti secuti luminaria cæli, sanctis-
simis & sapientissimis hominibus tanquam incensis facibus splendere, va-
rijs illos atq; diuersis virtutibus eminere, alijs atq; alijs temporibus &
sæculis florere voluit, vt haberet cæcitas mortalium lumen quod intueri
& exempla quæ referre & imitari potuisset. Et quoniam illi dum inter-
ris inter mortales versarentur, & lucem tenebris intulerunt, & homi-
num pectora amore virtutis inflammarent ne illorum ex. aplum interi-
ret, ad excitandam socordiam nostram, & illorum gloriam atq; nomen
illustrandum, decreuit ecclesia illorum vitam facta, virtutes, laudes de-
niq; omnes in populi christiani conspectu certis statisq; diebus celebra-
ri. Vt eos quos natura conditio, quæ neminem hic immortalem esse pati-
tur nobis subduxit viua & immortalis eorum memoria in chris. anorũ
mentibus conseruaret. Hodiernum itaque diem clarissimo illi & fulgen-
tissimo syderi, sanctissimo inquam Hieronymo consecrauit, cuius splendo-
re, & nostræ mentis acies persringitur & tantarum virtutum atque

Sap. 3.



laudum pondere orationis & ingenij nostri vires obruuntur, nisi diuino praesidio subleuentur. Vt igitur dignam. anto ecclesia principe orationem habere possimus, vt ea, quae a nobis dicuntur, purioribus animis, & sincerioribus auribus excipiantur, vt omnia cadant in Lei opt. Max. gloriam & in diui Hieronymi laudem, diuinam imprimis gratiam atque fauorem imploremus: atque ad eam obtinendam sanctissime virginis Mariae patrocinium exiguo illo, sed tamen sibi gratissimo Angelicae salutationis sacrificio nobis promereamur dicentes. Aue Maria.

Vos estis lumen mundi. Ex Euangelio. Matth. cap. 5.

Cum multa atque magna Christi Optimi Max. in genus humanum collata extiterint beneficia, illustriss. Legati, Patres Reuerendiss. qui tot tantisque suis laboribus, erumnis, opprobrijs, contumelijs et morte demum acerbissima: vitam nobis, salutem, libertatem, veram sapientiam, atque religionem fuerit adeptus: Vnde triumphum etiam ipse sibi gloriosissimum, & praecclaros illos, illustresque titulos reportauerit: vt & totius orbis seruator, doctor, pax, vita, oscium, veritas, pastor, vita, salus, felicitasque mortalium iure optimo diceretur: nullus tamen inter hos titulos clarior mihi, illustriorque videri solet illo, quo & lumen, & splendor patris, & sol multis prophetarum vaticinijs, & aperta apostolorum, atque totius ecclesiae, praedicatione appellari consuevit. Quid enim de Christo Iesu vita magistro, aut sapientius excogitari, aut aptius & conuenientius dici vnquam potuisset, quam illum solem nuncupare, qui primus miseris mortalibus, qui densissimis in tenebris, nullo duce, qui iter ostenderet nullo etiam lumine, quo illud intuerentur, adhibito: in certis cursibus, & incredibili caecitate vagabantur, verae virtutis; atque sapientiae viam verus ipse Mercurius veluti intento digito connostrauerit? Atque hunc quidem exorientem splendidissimum solem, cum accerrimus illi concionator, vatesque dominus Esayas aliquando prophetica mente contemplaretur, mortales omnes spe huius tantae futurae felicitatis illis verbis erigebat. Non tibi amplius sol, diurnam lucem diffundet, nec luna splendor, lucem subinde ministrabit, sed erit tibi dominus lux sempiterna, & Deus claritas tua. Hoc etiam eodem nomine iustos & pios homines Malachia. consolatur: vobis (inquiens) qui nomen meum reformidatis, sol exorietur iustitia, cuius radijs, vestra salus continebitur. Sed quamquam sol iste beatissimus, veteribus, antiquae legis, & prophetarum vaticinijs, caelesti sapientia, lucem iam aliquam attulisset: licet ipse propulsatis

(magna ex parte) scelerum & ignorãtia tenebris, diuina prædicatione, & exemplo innocentissimã a vita, tanquam splendidissimis, virtutis & sapientiã, radijs, hominum mentes illustrasset: cum iam sibi in festis, atq; inimicis p̄uaris eorum animis, crudele exitium comparari animaduerteret: priusquam funestissima crucis nocte contectus, sese abderet & cumberet, & densissima illa, crudelissima mortis, inuolutus caligine se mortalium oculis subduceret: lumina duodecim decreuit accendere, quasi fulgentissima sydera, quã, ipso occidente sole, totum reliquum orbem, eodem euangelij splendore complerent. Vt quemadmodum astra, solis lumine percussa, sic lucent splendent, vt in illis, inuentium oculi, lucem candidissimã solis, illiusq; vim admirabilem depræhendant: sic in apostolorum sermonibus, & operibus Christi splendore collustratis, diuinitatis eius apertissimã significationem, & expressissima vestigia mortales omnes contemplantur. Hos igitur sanctissimos, innocentissimosq; homines, quos ad tantã Christus euehebat dignitatem, vt eos veluti clarissima quãdam lumina, totius orbis tenebris vellet inferre, non illos quidem claros, & illustres ex aulis principum, sed obscuros et ignobiles ex retibus ad euangelia vocauit. hos selegit ex infinita hominum multitudine, quos in collegium illud sanctissimum cooptaret: quos in illa sua consilia plena diuinitatis admitteret: quibus arcana diuina & cœlestis sapientiã fontes aperiret: quos sibi suã prædicationis socios, laborum comites, miraculorum testes adhiberet: & primos esse vellet, suã bonitatis, clementiã, atq; mansuetudinis, imitatores: & duces exercitus Christiani, qui sublato crucis vexille totum orbem euangelicis legibus subiugarent quos cum recte sentiendi magistros, & exempla bene viuendi, veluti quasdam ardentis lampadas accenderet, quibus omnem posteritatem Christiani nominis amore, & studio virtutis inflammaret: merito illos, hodierno die, & terrã salem, & mundi lucem appellauit. Quid enim potuit cœlestis magister cœcis ignorantia tenebris opponere luce præstantius? Quid terrã, tot vitijs & sceleribus contaminatã, & infectã, sale conuenientius? Quibus obsecro alijs significantioribus verbis, quã ihs duobus salis & lucis, & terrã vulnera, et apostolorum officia eidentius exprimere potuisset? De quibus nobis hodierna die Sanctissimi Patres dicendum est. Nam primo quanta cum ratione Christus lux fuerit appellatus, & apostoli atque apostolorum successores xp̄licabimus: deinde vero de officio eorum qui hanc honorificã compellationem adepti sunt, differemus: postremo vero loco, de splendidissimo hoc & clarissimo lumine, de sanctissimo (inquã) Hieronymo, quem nobis

hodie Ecclesia celebrandum imitandamq; proponit pauca dicemus. At-
tendite obsecro Clarif. viri ad vos eteminusolos tota nostra pertinebit
oratio, quos diuina virtus & excellens doctrina, in tan excelso dignita-
tis gradu collocauit, vt successores apostolorum, pastoris dominici gre-
gis, euangelij pracones, & mundi lumina appellemini: & quantum omis,
quam laboriosa prouincia, vs tam praclaris titulis contineatur, tacit
vestrorum animorum cogitatione perpendite. O vtinam fieri potuisset
vt vel aliquis ex vestro ordine, hanc tantam causam suscepisset, vel mihi
sapientia vestra, oratio, & autoritas contigisset: vt hodie no die, in hac
orbis gentium, cli rissima corona, diuina Christi verba, apostolorum di-
gnitatem, Hieronymi sanctissimam vitam, statum veteris ecclesiae, lu-
ctuosam & miserabilem nostrorum temporum faciem exprimere dicen-
do potuissem: efficerem sane, vt cum illius temporis sanctissimos viros,
cum hominibus nostris, cum aurea illa saecula, cum ferrea hac atate no-
stra, collata contempleremini: & tempora a temporibus, & homines ab
hominibus, turpiter degenerasse lugeretur. Sed quando id fieri non potest,
conabor ego, rem hanc tantam, (etsi non pro dignitate) ita tamen ex-
plicare: vt si minus expressisse, adumbrasse tamen illius imaginem vi-
deamur. Atque vt causas primum atque rationes, ob quas, Christus ser-
uator noster sol diceretur, aperiamus: lustremus primum animo & cog-
itatione, totum illud tempus, ante aduentum eius felicissimum. Quid
aliud obsecro nobis cogitantibus, & omni mentis acie, caliginosam il-
lam reustatem, contemplantibus, sese offert, praeter obscurissimas
quasdam, & densissimas tenebras? Nam vt interim populum israeliti-
cum praetermittamus, cuius leges, instituta, sacra, caerimonias, ani-
mantium sanguine cruentas aras, totamque illam pecudum carnifici-
nam, omnia denique sacrificia, noctem Paulus appellauit, quod nihil
aliud fuisse viderentur, quam quaedam in tegumenta, quibus (veluti ob-
scura quadam nube) sol hic splendidissimus Christus contegeretur: Quis
gentium erroris? Quis barbaros mores? Quis instituta viuendi? quis
miseram, confusam, teterrimamque illam temporum faciem posset expli-
care dicendo? Quis multiplices illos delusae, atque perditae gentilitatis,
sinus explicare? quis errorum causas, progressus, euentusque recensere?
Principio quidem omnium insanarum cupiditatum semina, iam inde a
primo illo malorum fonte, deriuata cum pueris nascebantur, illorum vi-
sceribus in harentia: tum vero ipsa met sultitia, cum infantis corde
(vt dixit Solomon) colligata, prodibat in lucem: accedebat ad hac na-
tura vulnera, pernitiota disciplina, philosophis enim informandi, atq;

4
instituenti pueri tradebantur, qui cum morum censors, veritatis magistri esse debuissent: non scientia doctores, sed ignorantia duces: non flagitiorum hostes, sed scelerum satellites: non morum magistri, sed ministri cupiditatem omnium extitere. Hinc cum in ipsis errorum gymnasiis, deprauata natura, & pernitiosa institutione, iuuenes erudirentur, omne genus errorum, tenera illorum mentes, precipites ferebantur. Et cum quae esset vera laus, atque dignitas, ignorarent: personata quadam felicitate decepti, saepe pro virtutibus vitia, pro dignitate infamiam, pro felicitate miseriam sectabantur. Et quemadmodum qui noctu iter ingrediuntur, per inuisa loca, inter rapta voraginibus, latrocinij in festa, refferta periculis, infortunia vitare non possunt: sic illi diuino splendore destituti, atque tot vndique animorum hostibus circumsepti, in illas ignorantiae & flagitiorum insidias passim incidebant. Omnes itaque mundi nationes, caligine circumfusae, non rationem sed impotentis affectus sequebantur. Conflagrabat libidine Asia, Aegyptus animantibus atque lapidibus diuinos honores defferebat, mendacissima Graecia, poetarum fabulis & importunissimis philosophorum clamoribus personabat: Italia bellico furore & gloriae cupiditate fremebat: reliquae orbis prouinciae, eisdem morbis & perturbationibus aestuabant: In ea denique scelerum sentina, & rerum ignorantia ne mortales omnes versabantur: ut non errare, sed insanire: non labi, aut decipi; sed cum lacte errorem suxisse: & quod Cebes, Thebanus ille philosophus, sapienter, meo iudicio, dicebat: errorem omnes bibisse viderentur. Qui ergo in tan confusa rerum perturbatione, virtutis, atque sapientiae caelestis, illato lumine, densissimas ignorantiae, & improbitatis tenebras dissipauit: qui iter ad felicitatem (nostris sceleribus interclusum) aperuit: qui viam mortalibus ad immortalitatem patefecit: nonne iure optimo lux & sol erit appellandus? O diuina bonitas, & incredibilis sapientia Christi Iesu: qui hodierno die, è summo illo montis vertice, tanquam ex aliquo suggesto, ad circumfusam multitudinem concionatus, visus est veluti sol exorians, candidissimo splendore, exornatus, tristissimas, ignorantiae tenebras, letissima diuinae sapientiae luce, fugasse. Cui si non salutem, si non libertatem, si non vitam, si non denique caelum ipsum debe remus: sed hodiernam solum eius concionem, qua non solum leges ex illo super percilio montis omnibus mortalibus sicut Moses veteres ex Sina monte populo Israhelitico promulgauit: qua stultam fecit sapientiam huius mundi, qua nouam & inauditam bene viuendi formam, rationemque praescripsit: quis non illum & deum agnosceret & diuinis honoribus

prosequeretur? Quis non hunc perexiguam Christi sermonem, innume-
rabilibus Licurgi, Solonis, Mercurij, Rhadamanthi legibus, omnibus etiã
bibliothecis philosophorum anteferet? Quid, si diuiniore quasdam sen-
tentias, quod eas, nec sapientissimos homines, excogitare potuisse arbi-
trabantur, Apollini Pythio, acceptas, antiquitas referebat, & eius
templi valui affixas tanquam sapientiã primitias illi consecrabat: quod
non videat, non unam aut alteram sententiam, sed totam humane vitã
institutionem, paucissimis ijs Christi verbis comprehensam, quam nullus
unquam mortalium, non modo cogitare, sed neque suspicari quidem po-
tuisset, non ab humana sed a diuina solum sapientia promanasse?

Matth. 5.

Quid porro tan nouum, tan inauditum, tan longe positum ab humana
cogitatione, quam nostram felicitatem, paupertate spiritus, luctu, &
lacrymis delutescere? Quis Xerxi, Anibali, Casari, Alexandro, qui-
bus, totus orbis, tenuè & augustum, suã laudis, domicilium videbatur,
qui tot regna, nationes, imperia, quot terra marique continentur, steri-
lem suã gloriã segetem arbitrabantur, dicere auderet: amplitudinem
verã laudis, & gloriã, angustijs quibusdam, & quasi, carceribus spiri-
tus concineri? Quis reliquis imperatoribus persuadere potuisset, totius
orbis possessiones, mansuetudini animi, & non bellico furori, & arma-
ta audaciã esse tribuendas? Quis Epicuro & cyrenaicis hominibus luxu
diffluentibus, in squalore & lacrymis, sempiternam leticiã sitam
esse probaret? Quis reliquis philosophis, elatis humana sapientia, &
hominibus illis, quos claritas generis, diuitiarum affluentia, dignitas &
potentia, arrogantes atque insolentes efficiebat, persuaderet: in stultitia
sapientiam, in humilitate maiestatem; in ignominia gloriã; in contumelijs,
honorem: in opprobrijs, dignitatem: in indigentia, diuitias: in ca-
lamitatibus, & infortunijs, aternam beatitudinem esse collocatam: Nul-
lus plane præter Deum id efficere potuisset. Qui cum quondam Moisi per
angelos, populo Israëlitico, per prophetas loqueretur; nouissimis tem-
poribus per filium unicum, suam, nobis, voluntatem, aternis euangelij
monumentis, & illius sanguine consignatam contestatamque reliquit.

Heb. 1.

Quis ergo iam est, cui non & veteres tenebras, consideranti, & istam
euangelicã doctrinã lucem intuenti, Christus solum, vt sol esset, natus
fuisse videatur? Quis est qui non intelligat apostolos, qui totum orbem,
eodem euangelij lumine, illustrarunt, lumina etiam appellari debuisset
sed cum Christus Iesus, hanc honorificã solis compellationem, tantis
sibi opprobrijs, & contumelijs constitisse recordaretur, cum nosset hanc
suã euangelicã philosophiam, odio & inuidia plenã esse futuram,

reprotequa

ut pote quæ deorum aris, templis, altaribus, nefandis sacrificijs, & carimonijs, omnibus scholis gymnasijque philosophorum, bellum esset cruentum illatura: quæ veteres religiones, & sapientiam abolere, quæ secleratum hominum audaciam frangere, quæ principum furori, & non factis modo, sed improbis etiam cogitationibus, obuiam ire debuisset: non nosset, lucem, caligantibus oculis, et salem vulneribus, acerbissimum esse futurum: & hinc bellum acerrimum, suis charissimis apostolis innere, & eo acerbius, atque luctuosius erat futurum, quod in cruenta illa pugna, cum potentissimis aduersarijs, discipulos suos, non armatos, sed inermes, & nudos, non sapientia, sed stultitia crucis: non potentia, sed patientia: non ferro, sed euangelio congressuros esse videret: Prius ergo quam illos lucem appellauisset, ad tantum bellum spe beatitudinis & exemplo prophetarum armauit. Beati (inquit) estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis, sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. Et quoniam homines duci studio laudis intelligebat, nihilque eos magis optare, quam ut suum nomen toti orbi clarum & celebre redderetur & inde Græcis hominem τὸ φῶς lumen, in quam appellari: quibus in rebus Christianos homines elucere oporteat, illis verbis indicauit, Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est: Ut intelligerent omnia in Dei laudem atque gloriam esse referenda. deinde vero summam eorum dignitatem, & quales illos esse vellet, quibus hoc tantum euangelicæ prædicationis munus committebat, duobus hodierni euangelij verbis explicauit, cum illos & terræ salem & mundi lucem appellauit. Sed quoniam satis multa de ipsa lucis compellatione dixisse videmur, de officio ipso pastorum atque munere dicamus. Quapropter vos obsecro Sanctissimi Patres, ut eas quas hæctenus dicenti beneuolas & attentas aures accomodatis. Remigare paululum imprimis nobis necesse est, quæ explicamus, qua ratione, Christus salis & lucis nomine, apostolos officij sui commonefecerit: deinde vero vela pandemus orationi, et per hoc inmensum, cælestis doctrinæ, pelagus, citatis remis, velisque feremur. Mibi quidem sæpe numero atque diligenter, hæc Christi verba consideranti, nihil sapientius excogitari potuisse videri solet, ad exprimendam imaginem illorum hominum, qui rerum publicarum, & animorum potissimum, frena moderantur: quàm illos & salem & lumen appellauisse: ut qui salis ingenium, qui luminis naturam perspectam habuerit & exploratam, apostolicam anti-

Matth. 5.

Numer. 17.
Leutz. i.


flitum dignitatem & illorum officia, atque munera facile depræbendat. Sannius Pythagoras, Pat. Grauiß. qui in his quibusdam, totam suam inclusit philosophiam, Salem, iustitiæ & æquæ-atis Symbolum fecit: Moses vero sanctissimus, qui legem euangelicam, dictis & factis adumbrabat, nunc æternitatis Symbolum faciebat, cum aliquando, pactum salis fœdus sempiternum appellabat: nunc iudicij atque delectus, cum illis omnibus sacrificijs permisceri iubebat: Christus vero cœlestis philosophus, qui veritatem ex ipsis philosophorum latebris, & Mosaica legis ymbri in lucem extraheret, muneris apostolici signum, & quasi tesseram, esse voluit: t quemadmodum Moses, & antiqui illi patres, rebus corporeis addicti, atque consecrati, illa sacrificia grata Deo esse credebant, quæ sale conspersa, ad aras defererentur: sic hoc euangelicæ legis tempore, quo tota illa cura atque sollicitudo religionis, a corporibus abstracta, ad mentem potissimum et spiritum deuoluta est, significauit Christus, iam istas animorum hostias, non esse sine sale offerendas, ne illis insipidis & insulsis, Deo stomachum nauseamque moueremus. Et sicut sal rebus iam prope desperatis & emortuis, veluti quendam animum, vitamque resituit, infectis vero atque contaminatis, tribuit quandam immortalitatem: sic apostoli mortalium animos, ab æternæ mortis faucibus eriperent, & euangelij beneficio, gloriæ immortalitate donarent: et veluti præsentem lucem tenebræ fugiunt, atque dissipantur: sic conspecta apostolorum innocentissima vita, & audita cœlesti doctrina, veluti duabus fascibus adhibitis, omnes animorum caligines, ex humanis mentibus pellerentur. Quid enim est aliud salis & lucis officio fungi, quam cum duo sint animorum tyranni, quibus homines oppugnantur & opprimuntur, cecitas nempe mentis & peruersitas voluntatis, ita vitam componere & sermonem temperare, vt splendore euangelicæ doctrinæ, cecitatem animorum propulsemus, et innocenti vitam, aliorum voluntates exemplo virtutis incendamus? Attendant iam ergo diligenter qui apostolica dignitate gauriantur, & quantum cum illa oneris, atque negotij suscipiant, secum aliquando taciti perpendant atque meditentur. Nam cum illos & terræ Salem, & mundi lucem, Christus appellauit: dignitatis quidem amplitudinem, sed magnitudinem etiam laboris: honoris præstantiam, sed oneris etiam difficultatē indicauit. Quid, n. est per Deum immortalem, magis laboriosum, quam Christi personam sustinere? quid magis arduum, quam non modo se ipsum, sed alios etiam, ab omni contagione labæque vitiorum innumes conseruare, & in officio retinere? Etenim ad virtutem impellere, a vitijs reuocare, nunc suppliciorum metu nefarios

6
homines deterrere, nunc spe premiorum erigere & inflammare, auaris,
liberalitatem: libidinosos, castitatem & temperantiam: timidis, constan-
tiam: omnibus, frugalitatem persuadere: ex crudeli, misericordem: ex
impio, iustum: numilem, ex superbo, ex improbo, innocentem facere:
ex irpare vitiorum radices, extorquere prauas cogitationes, & quasi
addam imperium, in hominum mentes, exercere: maius est quam vt
cuiusque oratione explicari possit. Quid enim potest fingi, aut excogita-
ri difficilius, quam non solum turpiter facta, & petulanter dicta sed
internos ipsos prauos animi sensus, cogitationesque corrigere? Parrici-
dam, ne alterum occidat, latronem, ne furetur, adulterum, ne violet cuius-
quam pudicitiam efficere, licet sit difficillimum, fieri tamen potest, si illi-
us manibus catenas, pedibus compedes iniicias, & incarcerationem detrudas,
sed vt furari nolit, vt neminem odio prosequatur, vt interno non flagret
libidinis incendio, prestare ita magnum est: vt vix cuiquam mortalium
concessum esse videatur. Est enim illud non corporis, sed domine volunta-
tis esse censors, quæ nullis catenis constringi, nulla vi inuita cogi, aut
coereri potest. Iam vero iacentes subleuare, consolari calamitosos,
labantes confirmare, hæresibus occurrere, manum præcipitantibus
prorrigere, pauperum indigentibus subuenire, omnium miseris commo-
neri omnia (vt fecit Paulus omnibus fieri & more velocissimi syderis
vnde cunq; aduocatum veluti numen aliquod adesse, omnia inuisere, om-
nia collustrare, omnia videre & audire, sibi & aliorum salutem consule-
re & quasi in puppi sedentem, rectum clauum tenere, cuius obsecro tanti
laboris & tam inaudita virtutis est? Merito Diuus Gregorius, nullam
artem nullamque disciplinam, difficiliorem esse dicebat quam animorum
regimen & moderationem. Hæc sunt Sanctissimi Patres, pastorum mu-
nera, existimare debet qui se lucem appellari gaudet, sibi fidem, religio-
nem, euangelicas leges, animorum salutem, Christi gloriam, & quasi ec-
clesiæ nauim esse commissam, oportere se vigilantem & circumspæctum
nautam de aliorum salute sollicitum exhibere: pericula huius naviga-
tionis, monstra, demonis, & hereticorum insidias ostendere, & quasi
digito monstrare, hic Scyllam, ibi Charybdim, illic cautes & scopulos
delitescere, qui nauigantibus insidentur, omni contentione fugiendos,
consideret se ducem etiam esse & imperatorem exercitus Christiani, sibi
secum, & cum alijs bellum esse susceptum, cum populi vitis, acque sce-
leribus esse pugnandum, nunc militum timiditatem animandam, nunc au-
daciâ comprimendam, nunc impellendos & cohortandos ad pugnam
malis, nunc vero renocandos & retinendos, sæpe classicum sæpe etiam

1. Cor. 9.

⁊ receptui esse canendum. Scipionem cum Marco Catone Romani conferentes, vt Catonis laudes amplificarent, Scipionem foris, cum hostibus armatum, Catonem domi cum vitijs togatum, bellum gessisse dicebant: maioremque gloriam, domesticis vitijs profligatis, Catonem fuisse consequutum, quam Scipionem tot superatis hostibus, ⁊ latissime imperio propagato, quod multo esset illustrius, vitia quam homines superare: quod si vir ille non admonitus de caelo, sed vestigia solum naturae sequutus, ad officium suum pertinere arbitrabatur, stirpandis vitijs, totam suam operam ⁊ studium collocare: quid ecclesiae pastoribus faciendum esse putabimus, quibus ipsa diuina sapientia, huius belli, quod cum animorum hostibus gerimus, voluit esse primpilos ⁊ antesignanos? O fides sanctorum apostolorum inaudita, o virtus ⁊ ardor ille animorum incredibilis, qui hodiernis Christi verbis, non persuasi modo, sed inflammati ⁊ incensi, cum se Christi legatos ⁊ mundi lucem agnouissent, non illam delitescere passi sunt, sed in eo loco collocauerunt, vnde in omnium mortaliu occulos incidere potuissent. Quam ardentis studio illa legatione fungebantur? quanta celeritate latissimas provincias longaeque disunctas regiones peragrarunt? Bartholomeus ⁊ Thomas vtranque Indiam, vltra citraque Gangem fluiuium: Andreas, Syriam: Matheus, Aethiopiam: Iacobus, Hispaniam: Philippus, Scythiam: non modo viderunt, sed in tenebris ⁊ in umbra mortis postea luce euangelicae praedicationis illustrarunt. Et duodecim homines ignobiles ⁊ indocti, cum totum penes orbem Christi nomine ⁊ euangelio compleuissent de Tyrannis, de Daemonibus de statu Deorum, de philosophis parta victoria, cum omnia ferme mundi propugnacula, ⁊ arces occupauissent, in illis Crucis vexillum susulerunt. Et vt interim reliquas omnes gentes, atque nationes praetermittamus, quarum ceruicibus apostoli Christi iugum imposuerunt: quod potuit esse praeclearius atque illustrius apostolicae gloriae monumentum quam gentem illam togatam, ad gloriam natam sempiternam, Romanos (inquam) rerum adminos, qui triumphis clari, victorijs elati, gloria rerum gestarum illustres suos imperatores, ⁊ aris, ⁊ templis, ⁊ diuinis honoribus, dignos arbitrabantur: qui nihil nisi magnum, excelsum, gloriosumque redolebant: quibus quicquid immortalitatem non spirabat, vile ⁊ abiectum videbatur: in eam sententiam adduxisse: vt crederent in Christo fabri filio, ignobili, contempto, ex inuidiosa gente nato, affecto mille contumelijs, ⁊ opprobrijs, ⁊ demum tanquam scelerato, ⁊ improbo, inter duos latrones pendente, veram gloriam ⁊ laudem sitam esse: ⁊ iam Saturni, Iouis, Martis, caeterorumque Deorum statuas,

7
ibus illi suas victorias, acceptas referre, evertendas esse, atque
dispandas: & illarum locum Crucem, quam illi veluti rem turpissimam
auerfabantur, tanquam signum salutis, & vexillum felicitatis esse
collocandam? Quid referam illorum in propaganda Christi gloria soli-
tudinem? Petrus circuncisionis magister, Paulus gentium doctor, om-
nes circuibant ecclesias, fratres inuisebant, afflictos consolabantur, om-
nium saluti prospiciebant, cum philosophis congredebantur, alios in
Christi fidem pertrahabant, alios confirmabant, absentes, epistolis, prae-
sentes concionibus adhortabantur. Paulus omnium ecclesiarum sollicitu-
dine praebeatur, in Petri humeros moles totius christiani orbis immen-
sa inclinata recidebat & eo Christi amore conflagrabat, ut leue hoc tan-
tum illi pondus videretur: Omnes denique apostoli egentes, afflicti, cala-
mitosi, expositi omnium malorum telis quasi fortuna ludibria, caesi, ver-
berati, contusi, in dicta causa condemnati, bestiis obiecti, dilacerati, in
ipsa tamen positi tyrannica crudelitatis carnificina, & vitia acriter in-
crepabant, Christum praedicabant confidenter, & ipsos met carnifices
saepe etiam in Christi leges pertrahabant: & non modo illatas contume-
lias, alacri & infrausto animo, perferebant; sed etiam vltro se ipsis iniu-
rijs obijciebant, quod in illis Christi gloria latere arbitrentur: ut mi-
hi quidem apostoli non modo inferendis pro Christo contumelijs, sed in
exoptandis ambitiosi fuisse videantur. O vere pontifices Christiani, o ve-
ra & clarissima mundi lumina, hoc est esse lucem sancti. P. non perpe-
ti errorum tenebris mentes hominum occupari, illud est esse salem, vulnera
etiam cum aliquo doloris sensu sanare: est enim salis proprium, acerbita-
te quandam, et veluti morsum doloris vulneribus inferre, hoc est symboli
euangelicae & apostolice libertatis, qua vna virtute, nihil est in ecclesiasti-
cis pastoribus illustrius, nihil magis necessarium. Sic, v. affectos, et anima-
tos esse oportet Christi ministros; ut etiam si principum gratia exulceranda,
etiam si potentissimorum hominum animos exacerbandos, et illorum contra
se potentia concitanda, & armandam, etiam si districtos, & fulgentes ty-
rannorum gladios suis ceruicibus imminere conspexerint: quod ratio iubet
quod dicat euangelium, quod praecipit Christus, quod illorum salus et eccle-
siae dignitas postulat, sine metu, et spe, libere audacterque loquantur: et me-
dicorum peritissimos imitentur, qui dum aegri salutem prospiciunt, non modo acer-
bam aliquam medicinam vulneribus adhibere: sed ipsa etiam membra al-
terere, vrere et resecare soleant, ne dum in membra sunt nimium misericordes, in vitam
ipsa crudeles fuisse videantur. Sed pro dolor, ignoscite patres siquid liberius
dixerim, quae tanta huius amplissimi loci & ordinis patitur autoritas, rigida




illam censoriamque virtutem, acerrimam peccatorum vindicem, fractam
atque debilitatam: sanctissimum seueritatis magisterium, magna ex
parte sublatum: ardorem illum apostolicum animorum, si non penitus
extinctum esse, magnopere tamen deferuisse videmus: cum homines
assentari vitijs & honori suo seruire decreuerunt. Ferunt philosophi
nescio quem, filio persuadere solitum, ne ad populum concionaretur, ne
si vera dixeris (aiebat) populum hostem & inimicum es habiturus, si
falsa, Deum: quoties hæc vnica ratio multos egit transuersos, & ad
has cautes & scopulos misere illorum constantiam allisit? dicite mihi ob
secro Patres Sanctissimi, per Deum immortalem, si quispiam esset (finga
mus enim esse vt melius rei indignitatem concipiamus) si esset aliquis tam
demeus, qui clamante Paulo si hominibus placerem Christi seruus non
essem, ipse totum suum studium ad conciliandam hominum gratiam be
neuolentiamque conferret: tam ambitiosus, qui dicente propheta, Deus
dissipat ossa eorum qui hominibus placent, docente apostolo ne ad oculum
seruiamus, ipse reditus assentator improbitatis, dignitatis aut gloriæ cu
piditate vellet in maximis hominum sceleribus conuiuere, sine voce sine
mente sine libertate: qui denique abiecta omni cura rerum cælestium, ocu
los in terram flectere, assentari vitijs, hominibus quam Deo, ambitioni
quam Christo seruire maluisset: nonne & salis & lucis nomine indi
gnum, & omni supplicio dignissimum iudicaretis? O fallaces et inanis
simas spes eorum hominum qui sibi potius quam ecclesiæ, honori suo quam
Christi gloria, suis potius rebus quam Christiani populi saluti consule
re conantur: neque illas irati iudicis voces exhorrescunt, quibus illos
Christus in die illo iudicij miserabili alloquetur. Si pastor & sponsus eras
Ecclesiæ, cur oues errare, cur sponsam misere ab hostibus vexari permit
tebas? Si lux eras cur latebras quasiisti? Si delitescere cupiebas, cur lu
men esse voluisti? Si salis officio fungeraris cur patiebaris terram putre
scere? Si te huic oneri imparem intelligebas, cur tam ambitiosus? Si pa
rem cur tam nequæ gens nihil te nostræ leges nihil pietas, nihil ecclesiæ rui
næ nihil nostrorum apostolorum exempla, nihil hic dies formidabilis ni
hil præmia nihil supplicia pœnæque mouerunt? O voces luctuosas & for
midabiles quid alij sentiant nescio: sed ego cum hæc cogito & animo ex
horresco & corpore contremisco. Constantem ergo, erectum, & liberta
te spiritu armatum esse oportet ecclesiæ pastorem, hoc potissimum tem
pore quo nefarij & improbiissimi homines, euangelicam libertatem in oc
casionem carnis (reclamante Paulo) traduxerunt. Hac armati apostoli
nullis laboribus neque tormentorum generibus parcendum duxerunt, ne

Galat. 1.


Psal. 52.
pœs. 6.

Galat.



aliorum sceleribus parcere viderentur. Hac etiam muniti marty-
 res, liberas illas voces emittunt, quas nulla supplicia, nulli cruciatus
 intercludere aut cohibere, avertunt. Hac ceteri vestri ordinis sanctissi-
 mi homines se, fortiter tyrannorum crudelitati opposuerunt, Athanasius,
 Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius ille qui Theodosium post aditam
 Ferrimam Thesalonicensium stragem, & cruentas innocenti sanguine
 manus, templum ingredi volentem manu apprehensum continuit, & illi:
 verbis voceque repressit: tunc ijs consceleratis manibus sanctissimum
 Christi corpus contrectabis? tunc illum nefando isto, & sacrilego ore ex-
 cipies? non patiar non feram. Itaque non perterritus. Ambrosius tanta
 illa Romani Imperij maiestate, non potentiam totius orbis sinibus termi-
 natam perhorrescens, non superbas illas aquilas, non lictores, non laurea
 tos fasces reformidans, potentissimum imperatorem ad publicas lacry-
 mas & penitentiam adegit. O vere pontifex Christianus, cui Christi
 gloria salute & vita charior fuit. O Hieronyme sanctiss, te enim appel-
 lare iam libet, vnicum euangelicæ libertatis exemplar, & in huius tan-
 tæ apostolicæ gloriæ vocari societatem: qui ex illo Bethleemitico diver-
 sorio, hominum sceleribus & hæreticorum audaciæ, acerrimum bellum
 intulisti: quem neque mortis metus, neque vitæ cupiditas, neque spes ali-
 qua potuit cohercere, quominus illa tua fulmina orationis, a pectore illo,
 amoris diuini flammis incenso profecta, in omne genus improbitatis li-
 berrime contorqueres. Sed quorsum hæc? nunquid vos hæc ignorare pu-
 tamus quorum est incredibilis sapientia? Nunquid non hæc vos officia
 ecclesiæ præstitisse censemus, qui tanto studio & ardore in eius salutem
 incumbatis, vsq; adeo, vt mihi quidem, curas, sollicitudines, summosque
 vestros labores consideranti, et huic vestræ dignitati & illi purpuræ mi-
 serendum potius quam inuidendum esse videatur. Nunquid mentes ve-
 stras sapientissimas informandas, aut sanctissimas voluntates impellen-
 das & animandas esse putamus? Non sum tam demens Sanctissimi Pa-
 tres, vt hæc non modo dicere, sed neque cogitare audeam. sed eo consilio
 amè factum est, vt cum vobis apostolici vestri muneris memoriam refri-
 casset & miserrimas ecclesiæ plagas vestris oculis subiecisset, illius mi-
 serijs & lacrymis ita commoueremini: vt potius mortem sustinendam,
 quam afflictam & calamitosam matrem, in tantis erumais, sine spe
 salutis, deserendam arbitraremini. Nunc lucis splendore & suis acri-
 monia opus est, vt errorum tenebris & ecclesiæ vulneribus medeamini:
 & quando vos non aliam ob causam, diuina bonitas, & Sanctissimi Pon-
 tificis voluntas & industria in hunc sanctum locum coegit quam

Ambr.



vt ex hac specula, tanquam ex altissimo Olympi montis vertice, perditas
& profligatas Christianorum regiones conuolantemini, & illis reme-
dium aliquod adhiberetis. Conuertite per Deum immortalem oculos, nō
dico iam in Asiam, quæ quondam apostolorum prædicatione & sanctissi-
morum hominum illustrata frequentia, nunc non modo tenebris sepulta
iacet, sed omnem luci aditum occlusit. Non in Africam tot martyrum
& doctissimorum quondam virorum, nunc vero Sarracenorum multitudine
refertā. Non in Greciam, lumen olim Christianæ religionis clarissimum,
nunc vero in miseram turcarum seruitutem redactam. Non in illam bea-
tissimam regionem Hierosolymitanam, euangelij parentem quam Chri-
stus Iesus sanctissimis suis pedibus triuit, & innocentissimo sanguine
cruentauit, nunc vero pro dolor improbissimorum Turcarum sordidissi-
mis pedibus conculcatam. Non denique in cæteras prouincias, iam diu
ab hostibus occupatas, in quibus vix antiquæ religionis obscura vestigia
diuinæ vero indignationis atque vindictæ expressissima conspiciuntur:
omittamus antiquas ecclesiæ plagas, & obductas iam longo tempore ci-
catrices quæ curari nequeunt: nolo vulnerari vestros animos, veterum
calamitatum recordatione: hæc solum recentia vulnera, quæ calidum
adhuc sanguinem spirant, & sanari possunt intuemini, in has (inquam)
circumiacentes prouincias oculos conuertite, & hoc quod reliquum est
afflictæ Christianæ religionis, (quod est sanè perexiguum) consilio atq;
sapientia vestra conseruate, vel si id fieri iam non potest, nostris exigen-
tibus peccatis, euangelicam puritatem toto penè iam orbe fugientem, et
istud miserabile ecclesiæ funus, luctu saltem & lacrymis prosequamur.
Nulla etenim natio, nulla gens, nulla prouincia, nullum tam paruum &
exiguum oppidum, nulla iam ferme domus est, in quam non se pestis hæc
insinuauerit. Non modo in Germaniam, (quæ semper hæresum parens
esse voluit) sed his superatis Alpibus, obscure serpens in Italiam, aper-
te vero in Galliam Angliamq; inuauit. Et nisi extremus ille orbis angu-
lus Hispania, Pyrenæis montibus ita natura munitus, vt in eum sicuti
hostium arma, sic etiam hæreticorum dogmata ægre vnquam hætenus
penetrarunt, nisi inquam Catholici & inuictissimi regis Philippi studio,
& incredibili censorum fidei diligentia, septus fuisset atq; firmatus haud
dubie communi in totius Christiani orbis incendio conflagrasset. Vbiq;
oppugnatur religio, & loco pellitur, non iam obscure serpit canter, sed
aperte grassatur, cum lacte suguntur hæreses, maiores indies sumunt vi-
res incendium, longius quotidie progreditur: gemit ecclesia, suspirans
suis filij, & tyrannide hæresum oppressi lugent: hostes triumphant, et


in modo libere sed impune vagantur, & quod est acerbius in nostras
iam miseras insultant: non unus furit Hercules, sed Arrios, Macedonios
Nestorios, Iulianos, furias denique omnes Cerberus videtur euomuisse.
qui Christianam religionem misere vastent, incendant et populentur. Et
instantis malis flere possumus, subuenire non possumus, & vnicum re-
medium lacrymarum, non sanandis sed abluendis, aut potius exulceran-
dis ecclesie vulneribus adhibere. O saculum luctuosum, & infelicissi-
mum. Querebatur quondam diuus Hieronymus, Arrium paruam scintil-
lam, quia principio non fuisset extincta, totum postea ferme orbem fuisse
de populatam, quid si nunc omnia funestis flammis arere atque vastari
videret? quid si augustissima templa in cinerem versa, dirutas aras, delu-
bra tabulis, signis, & simulacris omnibus nudata, Pontificum conciliorum
& ipsius nature iura rescissa, violatas pudicitie leges, ad omnem iniqui-
tatem fenestram patefactam? Quid si multitudinem immensam duci cap-
tiuam & Christi sanguine expiatam turpissimo haeresum caeno voluta-
ri? quid si ecclesiam iactatam iniurijs, spoliatam dignitate, orbatam li-
beris, oppressam acerrimo bello, quid denique si ipsos iam haeticorum
gladios, filiorum sanguine stillantes videret? quid sentiret? quid diceret?
quo animo & quibus oculis, hanc tantam ecclesie cladem aspiceret? Quid
si nosset ex altera scintilla ex homine inquam improbiissimo, quem humi-
litas, fortunae, vitae, institutum, contemptibilem potius quam formida-
bilem efficiebant, hanc tantam flammam exarsisse? Quid si ab hoc homi-
ne improbiissimo, sanctissimum Christi vicarium cuius ille acerrimus as-
sertor extitisset, contumelijs dilaceratum videret? & tanto illum aposto-
licae sedis odio conflagrasse, vt aperte diceret se optare Christum è nostris
altaribus delere, vt Pontificis auctoritatem vel infringeret, vel debilita-
ret, qui saepe & sacerdos ipse & monachus circumstantes filios digito
amicis ostendens, se illos leuenculos, aduersum Romanum Pontif. arma-
re diceret: qui denique illud intestinum adiuu, ad extremum vsque hali-
tum & spiritum reseruauit, & se pestem (dum viveret) Pontificis,
mortuum vero, mortem, futurum, nefario illo & sacrilego ore clama-
ret? O impiam sceleratam & sacrilegam vocem, & illo dignam pecto-
re, quod multo iam antea demon occupauerat. Vtinam prius eo fulmi-
ne ictus, quo suid aliquando perterritus, concidisset: vtinam prius sacri-
legam animam, quam illam sceleratam vocem, nefarium illam prius
spiritum, quam teterrimam hanc nobis haeresum sentinam exhalasset.
Quid si nosset hominem illum (si homo & non potius monstrum est ap-
pellandus, qui tantum malorum hominibus inuexit, nefarios illos spiri-

3. Reg. 21: -tus sacramentarios, & anabaptistas eruffasse, qui more regis Achaeritatem è medio tollere, & omnia turpissim. erroribus & libidinibus implere conarentur: Erymnes præterea quæ pacem ecclesiæ turbarent, quæ quasi furiarum ardentibus tedis, hominum pectora, in mutuum odium, & cædes inflammarent: & illa dissidia sererent, quæ parentes & liberos, fratres & sorores, vna iam domo, communibus parietibus, & locis, non modo frui pacifice, sed neque contineri paterentur? Quid cogitaret? quid faceret? Exclamasset utique meo iudicio, o mores, o tempora, o miseram ecclesiam Christianam, & illud sanctissimum Hieronymi pectus, exarsiss. primum ira, & stomacho: Stylum deinde arripisset quo tot quondam hæreticos prostravit, & in aduersarios vibrantem illum, & ardentem contorsisset. Sed cum se, nihil hac via, aut parum proficere videret, agnoscens diuinam hanc esse animaduersionem, & supplicium nostris peccatis debitum, supplex ad diuinam misericordiam clementiamque confugeret. & suas etiam cum nostris lacrymas permisceret: in quibus sanè omnem nostram spem, sicuti aliquando hoc in loco dicebam imprimis video esse collocandam, quas ego cum præsentem statum Ecclesiæ considero, continere non possum: & sæpe mihi Hieremiæ venit in mentē, quem nunc videre videor, sordidatum, cinere conspersum, mærore confectum, lacrymis perfusum, non iam in antiquam illam Hierosolimam, sed in nostram ecclesiam, defixis atque intentis propheticæ mentis oculis, lugubri & mæsta voce, eius excidium orbitatemque lugere. vsque adeo, ut mihi quidem, eius luctuosa carmina legēti, non tam ille direptam Hierosolimam, quàm vastatam ecclesiam, non tam emersos lapides sanctuarij, quàm prostratas Christianas aras, non tam virgines & iuuenes, quàm Christianorum animos captiuos abduci, non denique veteris sion, sed ecclesiæ nostræ vulnera, non illius, sed huius sæculi miseras fuisse lamentatum: illasque suas acerbissimas lacrymas, non suis, sed nostris miserrimis terroribus impendisse videatur. O conditionem nostri sæculi calamitosam, quod tantum scelus admisit populus Christianus, Pater cælestis, ut tam seueram fuerit expertus animaduersionē? Quæ tanta peccatorum nostrorum colluies, diuinos tuos oculos potuit offendere, ut in tam deploratam & miserrimam sortem fuerit præcipitatus? Non saturat tuam ecclesiam Turcarum armis misere vexari, & affligi, nisi etiam ex illius visceribus filij essent exorti, qui afflictam & miseram matrem, nouis ipsi arumnis calamitatibusque vexarent? Non satis erat illam antiquis suis sedibus ab hostibus pulsam misere fuisse, nisi hic etiam exiguus qui restabat angulus, crudenter eriperetur? Num-

Iren. I.


Domine vineam quam de Aegypto transtulisti, cuius dux itineris fui
 sti, & plantasti radices eius qua terram implebat, qua opacis & viren-
 tibus ramis opperuit montes umbra, & arbuta eius cedros Dei qua ex-
 tendebat palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumina propagines,
 nunc ab apro syluestri & crudelissima fera vastari, templum eius san-
 ctissimum pollui, filiorum sanguinem, tanquam aquam, circa Hierusalem
 effundi patieris? quo vsque domine scandesceat furor tuus in populum
 istum? Quo vsque irasceris, & accendetur velut ignis indignatio tua?
 Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, conuertere & respice
 de caelo & visita vineam istam & perfrice eam quam plantauit dextera
 tua. Vide afflictionem, sponsa, quam non est qui consoletur nisi tu deus
 noster. Ignosce domine & parce populo Christiano, cuius causa neque fi-
 lio tuo charissimo pepercisti. miserere ruentis ecclesiae, cui tua solum bo-
 nitas & sapientia opitulari potest. Sed complicemus iam orationis ve-
 la, quae dum sublata doloris aura, per hoc immensum lacrymarum pela-
 gus excurrit, nullum iam propè locum Diui Hieronymi laudibus vide-
 tur reliquisse. vt aut illae silentio praetermittendae, aut patientia & bo-
 nitate vestra abutendum nobis esse videatur. Ignosce Hieronyme san-
 ctiss. si dum ecclesiae acerbissimas refero calamitates, & tui oblitus fuisse
 videar & huius diei letitiam illarum luctu & lamentatione turbasse:
 doleo sane te in hac luctuosa tempora incidisse, & immensam illam tua-
 rum virtutum syluam, quam nulla ingenij & eloquentiae vis (praeter tu-
 am) non modo exornare, sed neque recensere possit, in tantas ingenij
 orationisque nostrae, & breuissimi temporis angustias esse coniectam.
 Sed quid ego doleam cum tu in ipso Dei gremio & verae gloriae sinu extra
 omnem inuidiae aleam positus, securus & immortalis conquesceas? qui
 mortalium laudibus non indigeas? quas nobis tacentibus tuae virtutis at-
 que sapientiae clarissima monumenta, caelum & terra, homines & ange-
 li, praeterita denique secula celebrabunt & futura admirabuntur. Te
 enim finxit natura, vt esses omnibus seculis & exemplo & admirationi:
 te diuina bonitas, quae Abrahamum fide, Enoc vitam puritate, mansuetu-
 dine Mosem, sapientia Solomonem, intelligentia Dancielem, Heliam zelo,
 pietate Dauidem, exornauit: te inquam, quem & sibi gloriae, & ecclesiae
 Christianae praesidio & ornamento esse voluit, us omnibus virtutibus cu-
 mulauit. Neque vero mirandum est sanctissimi Patres in vastissimum il-
 lud & capacissimum Hieronymi pectus, in quo tot disciplinarum cogni-
 tio, linguarum notitia, sanctarum scripturarum scientia, haereticorum
 pernities, ecclesiae salus, Christus denique ipse totus continebatur: cho-

Cal. 78.



rum etiam virtutum omnium confluisse: ut mihi quidem, quem omnium
vitiolorum accerrimum hostem, diuina sapientia fingebat, illum etiam ro-
bore, & maximarum virtutum presidio, armasse videatur. Hunc veluti
facem ardentem, in ecclesia monte collocauit, quae tenebras dissiparet er-
rorum, & studio virtutis Christianorum animos incenderet. Hic docuit
Sanctiss. Pat. honores, dignitates, insidias, & inimicitias hominum, &
ecclesiae salute, & Christi gloria esse contemnendas. Hic docuit seculi
blanditias, tanquam Syrenum cantus esse fugiendas, & per summos labo-
res, per exilia, & solitudines, caelum esse quaerendum. Testes sunt illa
saxa, & scopuli Aesopotamiae, quos ille saepe lacrymis dolore peccato-
rum expressis impleuit. Testes sunt antra & exesa rupes, quae deforma-
tis, defessis, & defatigatis, illius membris, durum cubile & asperum
exhibuerunt. Testes sunt fere ipsae, quae saepe illius gemitibus & suffi-
rijs misericordia motae fremuerunt. Testes sunt, cilicia, verbera, ieiunia,
lacrymae, quae non modo illius membra, pallida atque deformia, sed emor-
tua prope reddiderunt. Testis est ille secessus, & solitudo, quae inter Syros
& Agarenos vastum limitem ducit, in qua secum congressus, & diu cum
suis cupiditatibus luctatus, clarissimam de se victoriam reportauit: in
qua solus cum Christo solo viuere assueuit, & ante illius tribunal saepe
prostratus, se reum agnoscebat, & suorum se scelorum vindicem acto-
remque praestabat: Testis est illa ingens hominum & feminarum multi-
tudo, quam ille & exemplo suo, & literis ad poenitentiam agendam pro-
nuocauit. Incredibilis vero & inaudita sapientiae, testes sunt illa Romana
Gymnasia, quae prima ille disciplinarum incunabula cum summa eius
ingenij admiratione tribuerunt. Testis est Gallia, Germania, Dalmatia,
Aegyptus, Arabia, Chaldea & reliquae prouintiae quas ille perdiscendi
gratia (Pythagoram & Platonem imitatus) peragrauit. Testis est ipsa
Grecia, quae cum praese ceteras nationes tanquam barbaras contemneret
& aspernaretur, illius diuinam eloquentiam admirata, eius libros in ma-
ternam linguam vertendos curauit, ne tanti hominis monumentis carere
videretur. Itaque Greciam latinis literis, Latium grecis hebreis atque
chaldeis Hieronymus illustrauit. Testis denique est illustris ille labor, quo
ecclesiam Christianam, varijs atque diuersis sanctorum scripturarum
translationibus seorsam, atque dissipatam, ad unitatem atque concordiam
reuocauit: ut ipso Augustino teste Hieronymus ecclesiam edificasse ite-
rum diceretur. Extremus denique istarum maximarum virtutum & glo-
riae testis locupletissimus est, illud Bethleemiticum praesepe, quod ille (cum
iam eius os sanctissimum & sapientia & eloquentia canesceret) vitime

tempore & quasi extrema senectuti consecrauit : vnde clarissimam
 illum lucem in totum orbem fundebat ; vnde hereticos vehementer exa-
 gitabat ; vnde ecclesiam lucebatur , in quem locum ex omnibus provin-
 tiis atque nationibus tanquam ad christianum oraculum homines conflue-
 bant , vt sanctissimi hominis conspectu , & sapientia , & extrema illa
 que Cygnea diuini pastoris voce fruerebantur . O vir sanctissime , sydus
 ecclesie clarissimum , apostolorum imitator , salis & lucis nomine , caele-
 & immortalis gloria dignissime . Felix & beata ecclesia Christiana ,
 que tantum in terra patronum , aduocatum in caelo , fuerit adepta . Felix
 Bethleemiticum domicilium , quod & Christi natali loco , & Hieronymi
 sepulchro gloriari potest : quod Christum nascentem mundo , & Hierony-
 mum caelo , conspexisti . Vt vnde exoriens sol ille iustitiae , in mortalium
 processit conspectum , inde Hieronymus occidens , exijs tenebris in illam
 sempiternam lucem , in beatorum consortium & felicitatem euolaret .
 Hunc nobis hodierno die non modo celebrandum , sed imitandum propo-
 nit . quo nullum nobis aliud vel illustrius exemplum , vel ijs temporibus
 magis accommodatum exhibere potuisset , cuius vestigia qui nunc eccle-
 siam saluam & incolumem esse cupimus sequi debeamus : Nam qui eam
 alia ratione quam suis precibus & supplicationibus inuare non possu-
 mus & nullum illi aliud quam lacrymarum patrocinium exhibere , huius
 viri sanctissimi lacrymas illas acerbas & e caelo semper pendentes ani-
 mum ante oculos proponamus . Illi vero quibus ingenium , eruditionem ,
 sanctarum scripturarum intelligentiam , disciplinarum , & antiquitatis
 notitiam , stylum , copiam , & facultatem ad scribendum aptam diuina
 bonitas largita est . hunc duces sequantur , qui tanquam fax quaedam &
 fulmen hereticorum , veluti quondam Iupiter gigantes , sic ille hereticos
 eloquentiae diuinae fulminibus percussit , extinxit , atque prostrauit . Quos
 ego & oro , & hortor , & obtestor vt haec caelestia munera sibi ad salu-
 tem , & ornamentum ecclesiae tributa ad arcendos & propulsandos illius
 hostes , ad tuendam eius dignitatem conferant , quod eo ardentius , & con-
 fidentius illis faciendum est quod doctissimorum hominum sapientissimis
 scriptis effectum esse videamus , vt plerique aduersariorum nostrorum
 victi , atque superati & sanctissimas Christiani ieiunij leges , & pietatis
 opera , ad obtinendam innocentiam necessaria , & patrum traditiones ,
 & contiliorum autoritatem , vel inuicti atque reluctantes agnoscant .
 Nunc vero duo sunt , quae ab illis acerrime oppugnantur , sacrosanctum
 videlicet Missae sacrificium , diuini erga nos amoris pignus , salutis praes-
 cium , hosti a incrementa , mortuorum praesidium , viuorum felicitas , vber-



imus bonorum omnium fons, a Christo institutum ab Apostolis celebratum, a Patribus, Concilijs, ab vniverſo Christiano orbe, tam longæ, sæculorum serie receptum, & nuper a vobis Grævis Pat. sanctissimis decretis confirmatum. Tum vero, sedes illa apostolica Romana, quam ipsi antiqui ecclesiæ hostes, summa veneratione iam inde ab ipso apostolorum principe Petro, continua Pontificum succeſſione deductam, tanquam iterarum omnium ecclesiarum principem & moderatricem proſequebantur: in hanc igitur vnam curam & cogitationem de conseruando diuino sacrificio, quod illi stirpare, de afferenda sede Romana, quam illi euertere, & funditus delere conantur, incumbite, ad sustentandam vnicam illam & firmissimam ecclesiæ columnam, omnes ingenij vires adhibete. quam qui erectam & firmam esse cupit, saluam esse cupit ecclesiã: illa etenim collapsa, ruet totum ecclesiasticum edificium, illa extincta splendidissima face, omnia hæresum, & errorum tenebris occupabuntur, quæ non aliunde nata sunt, quam quod sacerdoti Dei (vt dixit Cyprianus) non obtemperatur, illa occidente occumbet simul Christiana religio, adeo vt mihi quidem cum illius funere miserabile etiam Ecclesiæ funus conuectum esse videatur. Nihil est quod aduersarij maiori odio prosequantur, & maiori rabie insectentur, sed nihil mirum nefarium illum & improbissimum magistrum atque ducem imitantur, quo maiori studio & animi contentione elaborandum est, vt quod illi ad affligendam magnopere religionem emedio tollere conantur, nos illud vnum ad eam firmandam stabiliendamque fulciamus. Vos vero Sanctiss. Pat. acerrimum hunc ecclesiæ patronum, clarissimum ecclesiæ lumen, firmissimum fidei religionisque præsidium, pestem & exitium hæreticorum ante oculos proponite, & non modo factorum sed vestrarum etiam cogitationum, & aduocatum inuocate, & consultorem adhibite, si modo labefactatæ, & afflictæ religioni optatis remedium aliquod adhibere. Quos sane non iam ego sed ipsa mæsta, atque lubrica ecclesiæ vestris genibus pronoluta, per suas quas iudit lacrymas, per vestram fidem, per Christi Crucem, & sanguinem obtestatur, vt eius ruinis & miseris commoueamini, ne miseram deseratis, ne quam nunc exiguam, & afflictam habetis, auxilio vestro destitutam nullam deinceps habeatis, vt si minus amissam omnem dignitatem non possit recuperare, habeat saltem vestro beneficio munitam aliquam sedem & domicilium, in quo emergens e tantis ærumnis, sine metu hostium, libera respirare, & secunda possit conuiescere: Nam nunc quo se recipiat, vbi non hostium insidias pertimescat? Num in Germaniam vnde sæpe cum dedecore pulsa est? Nunquid in Angliam, vbi

vestra tyrannide, in publicum prodire non audeat? Nunquid in Gallian.
 vobis suos, se mutuis v. neribus conficientes videat? Nunquid in re
 liquas prouincias, in quibus & occultos domesticos hostes, & externos
 etiam reformidet? Omnia illi suspecta, omnia misera, omnia calamito-
 sa, & acerba sunt, nisi per vos Sanctiss. Pat. pace composita lux tene-
 ris, fides populis, Christo gloria, ecclesie dignitas, & tranquillitas re-
 stituatur. Nisi rem felicissime ceptam ad felicem etiam exitum perduc-
 tis, magna sunt quae hactenus praestitistis, sed longe maiora restant, nunc
 sordes abluenda, nunc omnis turpitudine remouenda, nunc facies illi pri-
 stina reuocanda, nunc pulchritudo restituenda, nunc standi hostes, &
 extrema rebus omnibus manus imponenda est. Vltimus restat huius con-
 ciliij actus, in quo declarabitis Sanctiss. Pat. nunquid sitis miseriam & af-
 flictam sponsam (quod Deus auertat) perpetuo lugere, aut potius sapien-
 tia & virtute vestra recreatam, quod futurum spero, ex hoc loco praeteri-
 tae calamitatis solacium & spem futurae salutis certissimam reportare.
 Spiritus ille caelestis, huius sanctissimi loci custos, & moderator, qui
 mentes vestras sanctissimas & sapientissimas, splendore diuini luminis
 illustrat, bonitate fouet, sapientia regit, & moderatur, efficiat vt sapien-
 tia, consilio, & virtute vestra diuina, curatis ecclesie vulneribus, abster-
 sis illius & sordibus & lacrymis, restituta veteri disciplina, hostibus ad
 suauissimum Christi & Romanae sedis iugum adductis, reuocata deniq;
 pristina concordia & vnitae, lati omnes dulcissimum illud paxana. Ecce
 quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum, in Christi
 gloriam, laudemque canamus. Cui sit laus, honor, gloriaq; sempiterna.

A M E N.





B R I X I Æ

Apud Damianum Turlinum, diligenter Imprimebatur.

Ad instantiam Ioannis Baptiste Bozole.

Anno M. D. LXII.

